

	Pag.
Dico II. Dotes animae beatae sunt tres visio, comprehensio, delectatio.	550
Dico III. Aureolae assignantur tres martyrum, virginum et doctorum.	550
Dico IV. Beatitudo est natura sua incorruptibilis et perpetua.	550
Dico V. Est praeterea perpetuitas beatitudini formali perfectae essentialis.	550

CAPUT II.

DE NOVISSIMIS MUNDI.

Articulus I.—De resurrectione mortuorum.	552
Thesis XII. Futura est universalis omnium hominum resurrectio.	552
Corollarium.	556
Thesis XIII. Hominum resurrectio iisdem, quae in vita habuerunt, corporibus perficietur.	556
Scholion I. De tempore resurrectionis.	562
Dico: Resurrectio omnium hominum eodem tempore in novissimo die eveniet; nec ante diem extremum aliqua Ecclesiae epocha felicissima a malis tum physicis tum moralibus seu peccatis libera expectanda est.	562
Scholion II. De aliis circumstantiis resurrectionis.	567
Articulus II.—De iudicio universali.	570
Thesis XIV. Futurum est universale hominum iudicium, in quo Christus D. in gloria et majestate apparens, iudex se debet.	570
Scholion. De circumstantiis iudicii universalis.	576
Dico I. Aliqui sanctorum simul cum Christo iudicabunt.	576
Dico II. Non modo omnes homines, sed etiam Angeli iudicabuntur.	576
Dico III. In magno illo et supremo tribunali publice proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quae praemio vel poenâ digna fuerint; ita ut omnes et singuli de quovis intelligere possint, quid boni vel mali per totam vitam fecerit.	577
Dico IV. Quoad locum multi putant iudicium extremum habendum in valle Josaphat prope Jerusalem.	578
Dico V. Signum Crucis illustri et augusta specie apparebit in caelo.	578
Thesis XV. Peracto iudicio sequetur status omnium finalis, damnatorum cum diabolo in inferno, beatorum cum Christo regnantium in caelo.	579
Scholion. De renovatione mundi.	581

DISQUISITIO V.

De virtutibus infusis.

QUAESTIO PRAEIVIA.

De virtutibus infusis in genere.

I. «Gratia secundum se considerata, ait D. Thomas, (1) perficit essentiam animae, in quantum participat aliquam similitudinem divini esse; et sicut ab essentia animae fluunt ejus potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus perficiuntur potentiae in ordine ad suos actus;» quare convenienti ordine cum eodem Angelico disquisitionem de gratia et merito excipiet praesens disputatio de virtutibus infusis, quarum exercitio sic currere debemus in hoc stadio vitae ut bravium aeternae immortalitatis comprehendamus (2).

I. Quid sit virtus. Virtus in genere definitur cum D. Thomas (3): «Bona qualitas mentis, qua recte vivitur et qua nullus male utitur.» Dicitur *qualitas* ut designetur genus, i. e. habitus, qui, prout competit virtutis definitioni, est qualitas difficile mobilis a subjecto, superveniens viribus, quae aut habentur ab ipsa natura aut ab ipsa naturaliter dimanant. «Habitus secundum proprietatem sui nominis, docet Angelicus, (4) significat qualitatem quamdam, quae est principium actus, informantem et perficientem potentiam; unde oportet si proprie accipiatur, quod sit superveniens potentiae sicut perfectio perfectibili.» Dicitur *bona* ut exprimat differentia ab habitu malo; *mentis* ut innotescat subjectum virtutis esse aliquam potentiam rationalem, additur tandem *qua recte vivitur* ut discernatur a quolibet habitu operativo mali ut est vitium; et a quolibet etiam indifferenti ut opinatio, per verba *qua nullus male utitur*.

Haec ut melius intelligantur notandum venit ex P. Lessio (5): a) Virtutem proprie tantum esse ponendam in supremis animae potentiis, intellectu et voluntate; et ad supremas ejus operationes

(1) 3, Q. 62, a. 2.—(2) I. Corinth. IX, 24.—(3) I, 2, Q. 55, a. 4.—(4) 2, D. 24, q. 1, a. 1.—(5) De just. et jur. Brev. explic. et divis. virt. in init. oper.

(quae sunt intelligere et velle) perficiendas. Est enim virtus propria perfectio naturae rationalis, qua rationalis est. Rationalis autem est, quatenus est principium intellectionis et volitionis. Itaque tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediate ordinatur. Haec autem perfectio consistit in attingendo vero et bono. Honestum bonum intelligo: hoc enim est proprium naturae rationalis. b) Ab horum perfectione pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis, et appetitus inferioris, et potentiae executivae. Et quamvis in imaginatrice et appetitu inferiori sint aliqui habitus, quibus perficiantur ad suas functiones; (assuescunt enim ab intrinseco obedire rationi et voluntati et ad hoc faciles promptique redduntur et determinantur) tamen probabilius est hos habitus non esse virtutes, sed tantum virtutum adumbrationes, et veluti ἀρχήματα quaedam, ut Dionysii verbo utar, quae ita virtutes intellectus et voluntatis imitentur, eisque subserviant, sicut vis imaginatrix et appetitus inferior deserviunt intellectui et voluntati, eosque in suis functionibus imitantur (1). Ratio a priori est, quia sicut vis imaginatrix non potest attingere rationem veri, solido iudicio discernendo verum a falso, honestum a turpi; ita nec appetitus inferior rationem honesti, amando praecise quia honestum, et odien- do quia turpe, ac rationi dissonum. c) Hinc sequitur esse duplex virtutum genus; alterum intellectus, alterum voluntatis. Virtus intellectus est dispositio perficiens illum ad cognitionem veri; facit enim infallibili modo verum cognosci. Virtus autem voluntatis est dispositio perficiens voluntatem ad affectum honesti. d) Ex his virtutibus quasdam absolute et simpliciter dicendas esse virtutes, quasdam solum ex parte; ut D. Thomas, (2) ex Aristotele docet. Absolute dicuntur virtutes, quae non solum praebent facultatem boni operis, sed etiam bonum usum sui, i. e. quae ita voluntatem movent et afficiunt, ut non possit illis male uti tamquam principio operationis. Tales sunt omnes illae, quae vel inhaerent voluntati, vel ad sui usum postulant rectam voluntatem, ut prudentia et fides catholica. Ex parte seu secundum quid virtutes dicuntur, quae solum praebent facultatem boni operis, (id est, ut opus in suo genere perfectum fiat) non autem bonum sui usum ut

(1) Nec aliter intelligendus videtur D. Thomas in 1, 2, Q. 56, a. 4, quando ait virtutes esse in potentia sensitiva, nam suam mentem his verbis aperit: «Iracibilis et concupiscibilis dupliciter considerari possunt. Uno modo »secundum se, in quantum sunt partes appetitus sensitivi, et hoc modo non com- »petit eis, quod sint subjectum virtutis. Alio modo possunt considerari in quan- »tum participant rationem, per hoc quod natae sunt rationi obedire: et sic ira- »scibilis vel concupiscibilis potest esse subjectum virtutis humanae.»—(2) 1, 2, Q. 61, a. 3.

sunt virtutes intellectuales hujus vitae, praeter prudentiam et fidem. Sapientia enim, intellectus, scientia et ars, etsi mentem perficiant ut cognitionem veritatis assequatur, et ars etiam dirigat potentiam executricem, ut opus artificiale perfectum reddat; tamen non faciunt ut voluntas ipsis bene, honeste, et laudabiliter utatur: (possunt enim ad pravum finem adhiberi;) et ideo tantum ex parte sunt virtutes, non absolute et simpliciter; quatenus tantum praestant ut rei cognitio, vel opus externum in suo genere sit perfectum; non autem ut proveniat ex bono affectu et ad finem honestum tendat.

2. Virtutes intellectuales numerantur sex; quinque naturales ut recenset D. Thomas, (1) nempe intellectus, scientia, sapientia, prudentia, ars; altera supernaturalis, quae est fides theologica. Intellectus versatur circa prima principia immediate evidentia, scientia circa conclusiones ex principiis, sapientia circa ultimas causas rerum omnium, prudentia dirigit actus appetitus ad bonum, et est, ut dicit D. Thomas, recta ratio agibilium, ars dirigit actus externos ad aliquod opus recte perficiendum, et dicitur recta ratio faciendorum. Fides elevat et perficit intellectum ad veritates revelatas cognoscendas.

3. II. Divisio virtutum. Praeter divisionem ex parte potentiarum nuper indicatam, admittunt virtutes divisionem ex parte causae efficientis a theologo praecipue considerandam. Dividitur igitur virtus ratione causae efficientis in acquisitam et infusam; acquisita est quam ipsi nostris actibus acquirimus; ejusmodi sunt ex. gr. omnes habitus naturalium scientiarum et artium. Infusa est illa, quam impertitur nobis Deus ut auctor donorum supernaturalium quin nostris actibus eam efficiamus. Hanc definit S. Thomas (2) ex Augustino (3): «Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, quam Deus in »nobis sine nobis operatur.»

Virtus infusa alia est per se, alia per accidens infusa. Infusa per se illa est quae nullis naturae viribus nec ulla actuum repetitione acquiritur, seu habitus supernaturalis dans simpliciter posse et elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales. Definiri potest: qualitas intrinsece supernaturalis permanens, et complens potentiam rationalem ad actus supernaturales eliciendos se tenens ex parte potentiae. Per ultima verba «complens potentiam rationalem ad actus supernaturales eliciendos» secernitur

(1) 1, 2, Q. 57.—(2) 1, 2, Q. 55, a. 4.—(3) Ex variis locis Libr. 83 QQ. q. 31; L. 4, contr. Julian. c. 3; Lib. arbitrii l. 2, c. 19; Epist. 105; Concion. 26, in Ps. CXVIII.

virtus per se infusa a donis tum gratiae sanctificantis tum characteris, quae non immediate ordinantur ad actus producendos. Per verba: «tenens se ex parte potentiae» discriminatur ab speciebus, quae se tenent ex parte objecti hujus vicem gerentes, non ex parte potentiae, quam virtus roborat et perficit ut illa objecta intelligat et prosequatur. Infusa per accidens illa est quae actuum frequentatione acquiri potest, sine hac tamen a Deo aliquando infunditur; ita Adam artes et scientias, quas alii homines actuum frequentatione addiscunt, ipse sine labore, a Deo immediate infusas accipit (1).

Virtus per se infusa, ut ad nos spectat communiter dividitur in theologiam et moralem. Theologica est quae habet pro objecto immediate et directe Deum ipsum ut finem supernaturalem, moralis quae habet pro objectum medium aliquod ad illum finem. Quo pacto virtus, ut sit theologica, debeat respicere immediate et directe Deum in sequentibus elucidabitur (2).

Dico I. Virtutes theologicae primario et formaliter a moralibus distinguuntur per solum objectum formale.

4. Nota. I. Objectum materiale potentiae vel habitus ac consequenter virtutis est illud, quod propter aliud attingitur, objectum vero formale quod attingitur propter se. Objectum formale prout consideretur, ut quod vel ut quo varie accipitur, ut alibi fusiis dictum est (3). Ad nostrum propositum sufficit revocare in mentem eam notionem, qua objectum *formale quod* est ipsa ratio motiva directe intenta ab actu, v. gr. quando quis bonitatem Dei propter ipsam Dei bonitatem amat; *formale autem quo* est ipsa ratio motiva in alio existens v. gr. cum proximum amas, quia in eo relucet bonitas Dei, credis mysterio SS.^{ae} Trinitatis quia Deus dicit, etc. Etiam non parum luminis effundet altera notio ab aliis tradita auctoribus, quibus objectum *formale quod* est illud quod attingitur propter se, et propter ipsum etiam attingitur aliud; objectum vero *formale quo* est illud propter quod attingitur aliud, sed ipsum non attingitur, v. gr. cum solvis alteri debitum ex iustitia, jus alterius est objectum *formale quo*; nam propter illud reddis debitum, non tamen illius jus attingis seu amas ipsam debiti solutionem, nam potius velles non esse tale jus; ergo jus non est objectum *formale quod* ametur seu intendatur in solutione debiti. Materialis objecti praecipua divisio hac in re est in objectum *quod* et *cui*. Objectum *quod* illud dicitur quod per internum virtutis actum immediate attingitur v. gr. Deus in amore Dei; objectum *cui*

(1) D. Thom. 1, 2, Q. 51, a. 4.—(2) Vid. Ripalda De ent. supern. Disp. 118, sect. I, et disp. 119.—(3) Disq. IV, n. 12.

e contra, illud, quod, non attingitur immediate ab actu, sed solum mediante alia actione, sic Deus v. gr. est objectum actus cultus puta genuflexionis, quo illum honoramus, volumus illi honorem sed non illum.

II. Juxta Angelicum (1) virtutes aliquae sunt theologicae propter tria: a) «Tum quia habent Deum pro objecto, in quantum »per eas recte ordinamur in Deum; b) tum quia a solo Deo nobis »infunduntur; c) tum quia sola divina revelatione in sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur.» Ex his tribus conditionibus secunda et tertia sunt communes caeteris virtutibus per se infusis; solum prima est propria virtutum theologicarum. Consentiant theologo virtutem theologiam habere pro objecto tum formali cum materiali primario et directo Deum; dixi materiali primario, quia non est necesse omne objectum materiale virtutis theologicae esse Deum, sed sufficit esse in aliquibus actibus, dummodo in aliis actibus propter Deum caetera prosequantur. Addidi directo, nam mediate et ut cui etiam virtus moralis v. gr. religio potest habere Deum pro objecto ut nuper dicebamus. Dissentiunt vero an solo objecto formali praesertim *quod* secundo modo expositum virtutes theologicae a moralibus discernantur. Affirmandum videtur cum pluribus contra alios, quamvis non sit negandum, secundario ex objecto materiali primario directo etiam distingui, cum nulla sit virtus moralis quae directe et primario Deum ut objectum quod attingat: ideo D. Thomas indistincte loquitur de hac materia ut notavit Suarius (2).

5. Prob. Ex communi sententia, ut postulat virtutum theologiarum praestantia, hae a moralibus specie distinguuntur. Atqui differentia specifica saltem principalis et primaria ab objecto formali juxta omnes desumitur (3). Ergo virtutes theologicae primario et formaliter per solum objectum formale a moralibus jam distinguuntur. Confirm. 1.^o Omnis virtus moralis ut propriis locis demonstratur, respicit tamquam objectum formale aliquam honestatem creatam. Sed nulla virtus theologica respicit tamquam objectum formale saltem principale et adaequatum honestatem creatam, sed Deum vel ejus aliquam perfectionem divinam. Ergo per solum objectum formale, etc. 2.^o Si aliqua virtus moralis haberet pro objecto formali Deum aut aliquam divinam perfectionem, ratione objecti formalis virtus moralis a theologica non differret: ergo dicenda esset theologica. *Cons.* probatur, nam unica vel princeps specifica differentia virtutum est ab objecto formali, sed in data

(1) 1, 2, Q. 62, a. 1, 4.—(2) De grat. L. 6, c. 8, n. 3.—(3) Suarez Meta-phys. D. 44, sect. 11, n. 30.

hypothesi convenirent in objecto formali virtus theologica et quae dicitur moralis, ergo haec etiam dicenda esset theologica.

Corollarium. Ex dictis sufficienter colligitur: virtutem theologiam prout ad nos attinet definiri posse, virtutem per se infusam habentem pro objecto formali Deum vel aliquam divinam perfectionem; virtutem autem moralem, virtutem per se infusam habentem pro objecto formali creatam aliquam honestatem.

6. Dices, alias virtutes, quae non censentur theologicae, habere pro objecto formali Deum. Ergo Deum esse objectum formale aliqujus virtutis non satis est ad virtutem theologiam constituendam. *Antec.* prob. a) Religio habetur ut virtus moralis, cujus tamen objectum formale est divina excellentia. b) Etiam obedientia reputatur virtus moralis licet ejus objectum formale sit potestas legislativa Dei; poenitentia respicit jus divinum laesum et similiter posset argui de aliis virtutibus moralibus. c) Theologia quoniam sit virtus theologica nititur sicut fides in auctoritate Dei revelantis. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Ad prob. a) Divina excellentia est objectum formale religionis; dist. Ut quod vel ut quo immediate movens ad actus cultus; neg. Ut quo remote, fundamentaliter prout secundo modo est a nobis expositum; conc. Objectum formale religionis est illa creata honestas, quae in Deo colendo relucet, includit certo excellentiam divinam sed non nisi indirecte et oblique ad modum quo jus in justitia; includit tamen necessario, nam vi illius inclusionis virtus religionis, quae Deum veneratur, non est v. g. virtus observantiae, quae parentes honorat.

Ad b) Simili modo respondendum est; potestas legislativa, jus Dei, etc., solum fundant illam honestatem specialem, quae est in obsequendo Deo, in reparando jus laesum etc., non tamen ab actibus obedientiae, poenitentiae etc. attinguntur nisi indirecte et oblique ut explicatum est.

Ad c) Dist. *antec.* Theologia nititur sicut fides in auctoritate Dei revelantis, praesuppositive et remote; conc. Formaliter et immediate; neg. Objectum formale Theologiae, ut breviter dicit Platelli (1), est deducibilitas ex revelatis; aliunde non est virtus theologica de qua nos agimus in praesenti, cum Theologia non sit scientia per se infusa, sed naturali industria comparanda.

7. **Quaeres 1.º** An virtutes infusae dent etiam facilitatem ad suos actus?

«Non agitur, ait Emin. Mazella (2), de facilitate intrinseca, quae consistat in inclinatione potentiae ad propria objecta; eam enim nemo... denegat virtutibus infusis, eo ipso quod conferunt pote-

(1) Synop. init. n. 13. — (2) De virtut. infus. n. 65.

»statem agendi... Sed quaestio est de illa facilitate propria virtutum acquisitarum, quae superaddita ipsi inclinationi potentiae ad »sua objecta, facit eam promptam, ita ut feratur in aliquod determinatum quocumque casu, vel saltem in pluribus.» Affirmavit Valentia (1) cum aliquibus, sed probabilius videtur negare Ripalda (2) cum aliis, nam:

1.º **Habitus per se infusus** illam virtutum acquisitarum facilitatem tribueret, quatenus minueret influxum potentiae naturalis in actus supernaturales. Atqui habitus per se infusus numquam minuit potentiae naturalis influxum in actus supernaturales. Ergo... *Min.* prob. Si aliquando minueret, esset cum habitus per se infusus magis intenditur. Sed cum habitus per se infusus magis intenditur etiam magis augetur influxus potentiae naturalis in actus supernaturales; quia potentia naturalis minus vel magis influit in actus supernaturales, prout minus vel magis fuerit elevata, sed magis elevatur per intensiores habitus. Ergo...

2.º In sententia contraria et caeteris paribus, virtutibus auctis infusis vel solis ipsis in homine existentibus, augetur facilitas bene operandi, et minueretur difficultas non bene operandi. Sed ex communiter contingentibus ac proinde communiter caeteris paribus contrarium experientia testatur. Ergo... *Min.* prob. exemplis: a) Parvuli baptizati, ac proinde virtutibus infusis ornati, non sunt, cum ad usum rationis perveniunt, faciliores ad opera virtutum quam pueri catechumeni, qui illis virtutibus sunt destituti. b) Qui tepide procedunt in via salutis et frequenter suscipiunt sacramenta, licet horum frequentatione multum intendantur eorum habitus infusi, nihilominus non minorem experiuntur difficultatem in bonis operibus exercendis. c) Ut probabimus, exercitio unius virtutis infusae caeterae quoque virtutes infusae augetur; atqui tamen non augetur facilitas ad exercitium omnium virtutum: nam exempli causa, qui faciliter et per plures actus exercet misericordiam non ideo facilius continentiam servat. d) Justus, qui diu in gratia perseveraverat si misere in peccatum labatur, eique assuefiat, postea cum convertitur, licet recipiat habitus aequae intensos ac antea habebat, non ideo experitur minorem difficultatem post conversionem quam ante, ut secundum virtutem vivat.

8. **Quaeres 2.º** An actus virtutum infusarum alios generent habitus?

Duplici modo potest intelligi per actus infusarum virtutum habitus generari: 1.º per eosdem actus supernaturales infusarum vir-

(1) In 1, 2, D. Thomae. — Disp. 5, q. 6, punct. 1. — (2) De ent. supern. D. 118, sect. 3.

tutum. 2.^o Per alios actus naturales illos concomitantes, qui circa easdem materias habituum infusorum versentur. Hoc secundo modo nemo dubitat habitus naturales et acquisitos generari posse imo et generari, qui suo modo juvent infusos, non per se influendo in actus infusorum, sed inclinando ad similes actus in substantia generica, praestando ut apprehensio vel cogitatio de objecto virtutis facilius sit et suavior, moderando tandem aliquos affectus naturales vel habitus naturales aliquo modo contrarios excludendo (1).

De primo igitur modo triplex est sententia: 1.^a Aliquorum thomistarum, qui facilitatem, oriri volunt ex eisdem habitibus infusis, sed intensioribus; rejecimus hanc sententiam in suo fundamento quaesito praecedenti, cum probavimus virtutes per se infusas non dare facile posse, sed simpliciter posse. 2.^a Aliorum, qui eandem facilitatem tribuunt novis habitibus acquisitis, qui juxta aliquos sunt supernaturales; communiter relinquuntur, quia destruunt necessitatem habituum infusorum, si actus supernaturales illos efficere valent. Juxta alios vero sunt naturales, licet efficiantur actibus supernaturalibus. Ultima pars hujus sententiae placet Ripaldae si simul cum actibus virtutum infusarum non eliciantur concomitanter actus naturales (2). 3.^a Communior, quae omnino negat, et tenet:

Actibus virtutum infusarum nullum produci habitum sive supernaturalem sive naturalem.

Prima pars constat ex inconvenienti allato in expositione sententiarum, et praeterea arguo cum Ripalda (3): «Vel habitus acquisitus charitatis supernaturalis remanet in homine post peccatum vel non? Primum videtur durum, et intellectu difficile, quare non deperdatur sicut habitus per se infusus, quandoquidem efficeret in

(1) Ita probabilius; contradicit probabiliter Ripalda (De ent. super. D. 52, n. 15), qui arbitratur habitum naturalem facilitare potentiam ad actus supernaturales efficiendo immediate actum supernaturalem, suoque concursu minuendo conatum et concursum, quem alias potentia sine habitu conferret in actum. Quod fieri posse per habitum naturalem, etiam in actum supernaturalem, constat ex eo quod habitus naturalis potest elevari ad exhibendum suum concursum in actum supernaturalem per habitum supernaturalem infusum, quemadmodum elevatur per eum habitum animus, potentia, et species impressa; nam sufficit unicum tantum principium supernaturale efficiens, ut ejus auxilio eleventur plura principia naturalia in actum supernaturalem. At diminuto concursu animae in actus supernaturales sinitur ejus activitas minus occupata facilius et expeditior, ut possit incumbere in plura, quam posset sine habitu naturali diminuente concursum potentiae. Ergo facilitas potentiae, per habitum naturalem ad actus supernaturales explicanda est per diminutionem concursus potentiae, sicut facilitas ad actus naturales.—(2) De ent. supern. D. 53, n. 3.—(3) Ibid. D. 52, n. 8.

»animo munus idem, quod efficiebat habitus per se infusus; nam »per eum habitum posset animus operari actus charitatis, sicut per »habitum infusum... Secundum vero destruit omnino fundamentum »adstruendi hujusmodi habitus acquisitos, nam post peccatum manet in anima facilitas ad actus virtutum, quae erat ante peccatum. Et per te absque habitu supernaturali acquisito.»

Secunda pars firmatur, quia tunc habitus naturalis inclinaret ad actus virtutis infusae. Sed hoc non est dicendum. Ergo. *Min.* prob. a) quia naturalis qualitas, ut est habitus naturalis, non tendit naturaliter ad supernaturalia; b) et speciatim, quia naturalis inclinatio habitus ad suum actum fundatur in virtute habitus connaturaliter activa sui actus. Atqui in habitu acquisito naturali nulla est connaturalis virtus ad actus supernaturales virtutum infusarum. Ergo.

Commendatur haec sententia auctoritate D. Thomae. (1) qui ait: «Dicendum quod actus qui producuntur ex habitu infuso, non causant aliquem habitum; sed confirmant habitum praexistentem, sicut medicinalia adhibita homini sano per naturam non causant aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant.» Nec in contrarium valent quae habet quaestione 17 de Veritate (2): «Dicendum quod ex his actibus non generantur habitus alterius modi ab illo habitu ex quo actus eliciuntur; sed vel aliquis habitus ejusmodi rationis, sicut ex actibus infusae charitatis generatur aliquis habitus dilectionis, vel praexistens augmentatur.» Etenim hoc loco, ut advertit Card. Mazella (3): «D. Thomas disjunctive loquitur, non assertive, uti legenti patet; ergo ex eo nequit determinate tribui S. Doctori quod doceat sententiam nobis contrariam. E contra in locis, quos citavimus aperte tradit doctrinam, quam tuemur... merito igitur dicimus hanc potius esse mentem D. Thomae.»

9. Restat ad complementum hujus materiae, ut causam assignemus illius ad actus supernaturales facilitatis, quae frequenti virtutum infusarum exercitatione in nobis producitur.

Respondendum videtur facilitatem, quae actuum supernaturalium frequentationem sequitur, non sequi per se, sed per accidens et indirecte, vel ex habitibus naturalibus, per actus naturales similes actibus supernaturalibus, generatis, quod valde probabile existimo; vel ex sola frequentatione actuum supernaturalium, quae jam tollit impedimenta et naturales potentias aut organa his ministrantia, usu ipso melius disponit. Virtutis enim infusae exerci-

(1) 1, 2. Q. 51, art. 4, ad 3; idem habet. 9, unic. de virtutib. a. 10, ad 19. — (2) a. 1, ad 4.—(3) De virtutib. infus. n. 87.